

## IN FESTO DEDICATIONIS.

EVANGELIUM. LUC. XIX.

In illo tempore ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zacchæus, et hic princeps erat Publicanorum, et ipse dives, et quærebat videre Jesum quis esset, et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zacchæe festinans, descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zacchæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.

### CONCIONES.

- I. Zacchæus in pusillo corpore magnus.
- II. Quare Christus semetipsum invitaverit in domum Zacchæi.
- III. Zacchæus, quia purus, jure merito dedicationis festo interest, imo præest.
- IV. Qua vita Zacchæus salutem et eximiam sanctitatem consecutus sit.
- V. Cur celebretur templi dedicatio annua.
- VI. Antiqua majorum nostrum Ecclesia longe pulchrior hodierna.
- III. Incitamentum ad restituenda bona aliena.
- IV. Quænam domus seu familia felicissima.
- V. Crucis honor et cultus ostenditur et defenditur.
- VI. Quadruplex templum mysticum.
- VII. Ad quid ædificentur templa, et cur ornentur.
- VIII. Templa cur consecrentur.
- IX. Objectionibus hæreticorum contra dedicationes ecclesiarum respondetur.
- X. Quanto honore et veneratione digna sint templa.
- XI. Quanto fructu frequententur templa.
- XII. Templi fabrica, vasa et ornamenta quid habeant mysterii.
- XIII. Amuleta sacra ab Ecclesia benedicta ad quid.

#### CONCIONES AUCTARII.

- I. Laus Zachæi.
- II. Christiani catholici vere filii Abrahæ.

#### CONCIO I.

ZACCHÆUS IN PUSILLO CORPORE MAGNUS.

- I. Quia stultæ plebis sannas et judicia contempsit. —
- II. Quia probis et calumniis nihil motus fuit. —
- III. Quia confiteri se peccatorem non refugit. —
- IV. Quia e laqueis diaboli viriliter eluctatus est, restituendo ablata. —
- V. Quia magnam dare elemosynam ausus est.

#### THEMA.

Ecce vir nomine Zacchæus. Luc. XIX.

Ecit forsitan aliquis, qui cogitabit secum verba Sancti Lucae non satis coherere; dum Zacchæum

primo appellat virum: *Ecce vir nomine Zachæus*, paulo post vero subdit eum *statura pusillum*, fuisse, ita ut in terra stans Christum præ turba videre non posset, ideoque in arborem ascendere coactus sit. Qualis iste vir est, dicit quis, qui statura tam pusillus est? Masculi appellari solent, non viri qui statura pusilli sunt. Sed huic respondendum est virum non a corporis statura, sed a vi et virtute denominari. Licet ergo Zacchæus statura parvus fuerit, vigore tamen animi ac virtute magnus, adeoque vir fuit; idque sæpissime contingit in aliis. Parvus admodum corpore fuit Sabinus ille miles Romanus et ex illis habitudine, ut ne militem quidem crederes, qui se ex omni

exercitu obtulit Tito imper. ad scandendos Jerosolymæ muros, præ omnibus; sed anima quædam heroica, in angustiore corpore habitabat, ut scribit Josephus. I. VII. de bello, c. XLI. Talis ergo et Zacchæus erat, corpore parvus quidem, animo vero tam magnus, ut similis ei non esset inter omnes Jerichuntinos. Quod hic pluribus expendemus.

I. Virum esse assero, qui stultæ plebis sannas et judicia spernit. Sic testatur Seneca, l. II. de ira, c. XXXII. *Ille, inquit, magnus et nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minorum canum securus obaudit.* En vobis virum hac in re Zacchæum; qui ut videre et nosse de facie Christum, de quo tanta dici inaudierat, posset, non dubitavit, dives licet et Publicanorum princeps, alios præcurrere et in arborem irrepere puerorum instar, ut desiderio suo frueretur. Factum hoc est viri, qui, spretis concivium derisionibus, non sine difficultate in Christi notitiam se insinuat. Sycomorus ficum fatuam significat, et crucem, quæ gentibus stultitia est representat. Hanc a parte rei ascendit Joseph et Nicodemus, viri duo primarii, quando Christum deponere de cruce non erubuerunt: conscendit suo modo Constantinus Magnus, quando ad honorem duodecim apostolorum, duodecim cophinos terræ in dorso suo efferens e fundamento effosso pro structura templi Sancti Petri: Heraclius, quando crucem sanctam a Persis receptam, suis extulit humeris in montem Calvariæ: S. Eduardus Angliæ rex, quando claudum amore Christi in humeros sublatus gestavit de palatio in templum Sancti Petri: S. Stephanus Hungariæ rex, quando pauperibus elemosynam distribuit, cum evulsione barbæ suæ: Rodolphus Habsburgicus comes, cum vener. sacramentum equo desiliens et pedibus subsecutus est, sacerdote in equum sublato: Carolus V. cum in æstu magno idem venerab. sacramentum per Augustanam urbem circum gestatum detecto capite comitatus: qui omnes propter hos heroicis religionis actus maxime celebrantur. Quibus accedat Thomas Morus, crucem in processione præferens, et ad missam publice ministrans. Atque hæc probatio viri Deum amanti. Diogenes cuidam, qui se ejus disciplinæ tradere cupiebat, dicens: *Impera mihi, Diogenes, dedisti fructum casei portandum.* Quod cum ille detrectans fugeret, postea ei obvians: *En, inquit, nostram amicitiam parum casei diremit,* Bruson. et Laert. l. VI. Christi etiam discipuli et viri sancti ex humilifate comprobantur et contemptu sui, fuga honoris et laudis; sicut e contra si videris aliquem, dum negligitur, postponitur vel irridetur dare sensum doloris vel indignationis, dejicere vultum, nasum contrahere, frontem rugare, scito

hunc non esse sanctum nec magnum, etiamsi miracula faceret, aiebat S. Thomas Aquinas.

II. Vir est, qui non movetur probis et calumniis, quomodo aquila rex avium non movetur cornicum et psittacorum insultatoriis vocibus. Et hic Zacchæus virum sese præstitit, quando obmurmurantibus sibi æmulis et peccata objicientibus, ne verbo quidem respondit: sed spreto illorum convicio, ad Christum conversus, ait: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, etc.* Vide masculum animum. Primo enim, ad calumniam civium, nihil ipsis, e quibus pungitur, respondet; sed contemnit injuriam, ad instar magnarum bestiarum quæ tangi se non ægre patiuntur, ut equi, boves, elephantes, cameli, muli, molossi. Unde Seneca, lib. II. de ira, cap. XXXIV. ait: *Pusilli hominis et miseri est, repetere mordentem, ut mures et formicæ; ad quos si manum admoveris, ora convertunt. Imbecilla se lædi putant cum tanguntur.* Tange formicam, murem, vermem, aviculam, mox impetent te morsu: non sic magna pecora, oves, capræ, boves, cameli, equi, asini, qui et injurias et verbera patiuntur. Quando Paulus in Melita insula invasus et admorsus a vipera, non intumuit, sed absque noxa et tumore bestiam excussit mirati gentiles, pro Deo ipsum habuerunt, Act. XXVIII. Morderi injuria et non intumescere ira, sed injuriantem spernere, magna et plus quam humana res est, ac pene dixerim, divina. Magnum ergo est, qui cum Zacchæo stomachum struthio-cameli habet, et omnes injurias dissimulare et concoquere novit. Quin et hoc pacto gloriosam sui de inimico vindictam capit. Cur enim lædit te inimicus, nisi ut tu doleas? Si ergo tu non doleas ob offensam acceptam, dolebit inimicus, quod operam perdidit.

Secundo, retundit et enervat prorsus injuriam acceptam, veluti iniquissimam et in se conflictam contrario virtutis suæ specimine. Peccatorem civis arguunt, h. e. fraudatorem seu raptorem, quales fere erant tunc Publicani. Sed en ille nec verberare, sed contrario justitiæ et liberalitatis tactu excutit ictum et se defendit: *Ecce (q. d. modo) dimidium bonorum meorum do pauperibus q. d. quomodo me accusatis, quod aliena rapiam, qui etiam mea do pauperibus? Hoc tempore plerique calumnia aliqua tacti, ferro et gladio se ostendere volunt viros probatos atque integros. Sed quid gladio cum probitate? Etsi is hostem occidat, num ideo vitio carebit? Minime. Seu si avarus et raptor appellatus, liberalem se demonstret et justum, quemadmodum fecit Zacchæus, tunc vincit, et hostem falsitatis arguit atque convincit. Si helluo vocatus, temperantem et sobrium se exhibeat, tunc calumniatorem mendacii reum ostendit.*



III. Vir est, qui hostem, cum pugnandum est, quantumvis magnum et vastum, aggredi non timet. Jether filius Gedeonis, jussus a patre interficere duos reges Madian captos, Zebec et Salmana, non eduxit gladium quia cum adhuc puer, h. e. adolescens esset, timuit viros corpore vastos, itaque Gedeon ipse eos interfecit, Judic. IX. Ades dum, Zacchæe, debes et tu invadere hostem longe te majorem, dæmonem. Accusaris enim a concivibus de publicis peccatis et injustitia. Audes negare? Testes in promptu sunt. Fateberis coram omnibus? Quæ te manebit confusio? En virum Zacchæum. Fatetur culpam, tametsi tunc confessio nondum obligabat, etiam privata, et promittit satisfactionem. Sic primo ictu stravit dæmonem, dum fecit confessionem. Quam multi sunt, qui cum veniunt ad tribunal confessarii, pueros se ostendunt, dum gladium educere, seque accusare non audent! Vere pueri, quia fictum hostem timent, qualis abbatî Theodosio apparuit, in prato spirituali, cap. LXVI. dæmon; scilicet specie gigantantis. Jussus enim ab angelo pugnam cum illo inchoare solum, spe angelici succursus, mox ad primum ictum monstrum in fugam egit. Idem eveniret pœnitentibus omnibus, modo gladium educerent. Fecit hoc Zacchæus, et sponte quidem; unde et mox triumphavit.

IV. Vir est, qui, ex hostium laqueis generose eluctatur, uti fecit Samson, quando ruptis funibus, a Philistinorum manibus se liberavit, Judic. XV. Fortis dæmonis laqueus est, onus restituendi aliena, manus constringens. Multi in hoc masculi et pusilli sunt, nec abrumpere laqueos dæmonis volunt, similes columbæ aut palumbi, quæ in tecto vel ramo sedens, dum præ timore avolare non audet, sed deliberat, jaculo configitur. De quibus Ose. VII. dicitur: *Factus est Ephraim sicut columba seducta, non habens cor.* Seducta plane a dæmone, quasi ignominia sit restituere, cum sit potius laude dignum et actus justitiæ. Videamus hic Zacchæum, an virum se præstiterit: *Si quid aliquem defraudavi, inquit, reddo quadruplum.* Virilis plane et generosa resolutio! Sed cur quadruplum? Consideravit, opinor, Zacchæus quadruplex damnum, quod inferre solet injustitia proximo. Primo, injuriam, usurpando rem alienam; secundo, lucrum cessans proximo ex re ablata; tertio, indignationem, cui causam dedit; quarto, lacrymas et querelas, quas provocavit in spoliatis; uti objecit S. Hedwiges conjugî Uladislao, Poloniæ regi, promittenti restitutionem spoliatis, dicens: *Pignora quidem agricolis redditis: cæterum lacrymas quis reddet?* Cromerus, lib. XV. Ad hæc Zacchæus: *Reddo, ait, non reddam: mox se restitutum in-*

dicans. Difficile est hoc multis: promittunt enim in confessione se quidem restitutionem facturos; sed vix aliquando faciunt, dum varios pretextus quærunt et impedimenta superare nolunt. Difficilis res est restitutio. Quemadmodum enim cibi grati, licet noxii, facile et avide devorantur, sed non sine dolore et difficultate evomuntur; similiter, uti pisces facile quidem in sagenam intrant, sed egrediuntur difficillime, quia ad ingressum ostium est amplum, ad egressum vero angustum; ita et aliena facile ingrediuntur in bursam avari, sed difficile revertuntur. Timeant, qui moras in restitutione trahunt usque ad mortem, quando jam restituere nequibunt, ne in sagenam dæmonis nimis facile ingrediuntur, sed exire non possint amplius. Multi nobiles, ut splendide vivant, maxima debita contrahunt, quæ nec in vita solvere curant, nec in morte possunt: unde magno salutis suæ periculo discedunt ex hoc mundi hospitio, non salutato hospite. Zacchæo merito adjungo Carolum V. imper. qui, capto Francisco I. Galliæ rege, sapius dicebat: *Etsi totum Franciæ regnum debellassem, redderem illud regi, modo id, quod meum est, mihi relinqueret, auct. vitæ ejusdem.*

V. Vir est, qui magna elevare pondera potest. Qualis etiam Samson fuit, qui portas urbis Gazæ sustulit, et in montem asportavit, Judic. XVI. Potuit hoc Zacchæus, qui non parva et mascula, sed virili manu liberalissimam dedit eleemosynam in compensationem injustitiæ suæ: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Accusavit Judas Magdalenam, quod trecentorum denariorum unguentum effuderit super caput ejus, quasi nimis prodigam; sed Christus tantum abest ut prodigalitate ejus argueret, ut etiam parcitatem excusaret, eo quod plus non habuerit: *Quod habuit hæc, fecit, inquit Marci XIV. quasi dicat: Prodigalitate ejus accusas, parcitatem potius carpere debebas; sed excuso eam, quia plus quod daret, non habuit, ut notat Cajetan. opusc. qu. I. Quod pauperibus damus, Deo damus: large igitur dandum. Sinitæ in deos suos parci admoldum sunt, de porcino capite dant imas aurículas, reliquorum altitium ungues, vini guttas aliquot in aram simulacro effundunt, cæteras dapes ipsi cum tripudio absumunt, Maffei, l. VI. Ind. histor. Ita fere avari pessima quæque et vilissima dant pauperibus. Pumilliones sunt, et infantiles manus habent; quia non audent plenam manum marsupio inferre, ut largam dent eleemosynam: duos dumtaxat digitos, et hos timide immergunt. Virilem manum habuit Sanctus Oswaldus Angliæ rex; qui cum episcopo Lindisfarn. Sancto Aidano in mensa sedens, ubi audivit mul-*

## CONCIO II.

QUARE CHRISTUS SEIPSUM INVITAVERIT IN ZACCHÆI DOMUM.

I. Quia sciebat uberem hospitii sui mercedem. — II. Quia viderat affectum, et promptam Zacchæi voluntatem. — III. Quia ingressus Christi ad nos, ad salutem consequendam nobis necessarius est. — IV. Quia vidit morbum Zacchæi valide periculisum.

## THEMA.

Zacchæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Lucæ XIX.

Mirari aliquis posset, quam ob causam Christus Dominus ad Zacchæi domum potenti voce seipsum invitarit, non expectata Zacchæi invitatione, neque precibus. Id enim alias nunquam legitur fecisse, sed vel ab invitantibus rogatus esse; vel certe ipsemet prius humaniter rogasse, uti in cœna ultima. Ad hæc parum civile vulgo reputatur, si quis ad mensam alterius seipsum invitet, nisi forte sint amici intimi, aut valde familiares; quod sane hic non erat, siquidem Zacchæus fraudator et sycophanta (ut Græce habetur) erat, et Christum non noverat, quem videre saltem cupiebat. Magnæ igitur hujus rei causæ esse debent, quas hic inquiremus.

I. Primam adfert Sanctus Ambrosius, libro VIII. in Lucam: *Se non invitatus invitatus, inquit, sciebat enim uberem hospitii sui esse mercedem.* Bene possunt principes divertere quocumque, et ad quoscumque volunt; quia hospitii mercedem liberaliter solvere consuescunt. Bene poterat Conradus II. imperator in venatione divertere ad Guilielmum Plebanum in Cazenhausen, seque invitare ad cenandum et pernoctandum in ejus domo; neque id grave erat parochi (quia spes erat tantum hospitem tesseram hospitalem munifice persolutorum; quod et fecit, creando eum episcopum Monasteriensem, teste Cranzio metrop. libro II. capite XXIX. Noverat utique jam ex fama Zacchæus, quanta beneficia Christus passim aliis elargitus esset, etiam immeritis: quid ergo non sperare a tanto hospite poterat? Neque spe sua delusus est; nam et salus domui ejus facta est, et ipse postea a Sancto Petro episcopus Cæsariæ Palæstinæ ordinatus est, uti refert Sanctus Clemens, libro I. et III. de cognitione. Sic et Elias minime invitatus tempore famis ad Sarephthanam venit, ut ejus mensa frueretur: ac, licet ipsa protestaretur se non habere nisi pugillum farinæ, quo suam et filii sui sustentaret vitam, petiit nihilominus, ut prius sibi ex ea panem coqueret: *Mihi primum, inquit, fac de ipsa farinula*

tos pauperes foris expectare eleemosynam, jussit e mensa dapes efferri pauperibus; simulque discum argenteum, in quo appositæ erant, frangi et distribui illis. Ergo Aidanus apprehendens manum ejus, ait: *Nunquam inveterascat hæc manus.* Quod et factum; nam, occiso ipso in prælio, reliquum ejus corpus putredinem sensit, manus vero illa semper integra et incorrupta mansit. Refert ven. Beda, l. III. hist. Angl. Non aliter egit et hic Aidanus eod. l. Nam cum S. Oswaldo Oswinus frater in regno successisset, et S. Aidano equum speciosum pretiosumque, ne pedes cogere tur incedere, donasset, paulo post Aidanus, cum pauperi eleemosynam petenti obviasset, desiliens, equum, ita ut erat stratus magnifice, donavit. Audiit hoc Oswinus, et ingressuro ad prandium ait: « Quid voluisti, domine antistes, ut hunc equum, quem tibi pro singulari dono dedi, pauperi dares? Numquid non habui viliores equos aliaque munera, quæ pauperibus sufficerent? » Cui episcopus: « Quid loqueris, rex? Numquid iste filius equi charior tibi est quam ille Filius Dei? » Movit hoc verbum regem, ut daret sancto potestatem de suo etiam thesauro expendendi in pauperes, quantum vellet. Bene ergo S. Chrysost. hom. XXXVII. ad popul. ait: *Non dare, sed cum copia dare, eleemosyna est.*

Vidimus quanto jure Zacchæus, licet corpore pusillus, vir tamen appellatus sit. Talis igitur et nos simus. Philisthæi certe, quando audierunt Hebræos ex adveeta arca sua ad pugnam contra se animatos, ipsi quoque sese invicem ad resistendum excitaverunt, dicentes: *Estote viri Philisthæi, l. Regum. IV. Audivimus nos Zacchæum in præsentia Christi præbentem sese virum: sumamus et nos animos, ipsius exemplo: Estote viri, o Christiani, in patientia derisionum, in contemptu calumniarum, in expugnando dæmone, in ejiciendo mammona, in præstandis eleemosynis, ut et de vobis dici queat: Ecce vir, nomine Zacchæus, nomine Petrus, nomine Paulus, nomine Joannes, etc.*



ganem. Quod non solum inurbanum, sed etiam inhumanum et crudele apparebat, exigere nimirum panem a vidua, ipsius et filii vitæ extreme necessarium. Id tamen non movit prophetam; præviderat enim farinam viduæ in mercedem eleemosynæ adeo cumulandam, ut nunquam deficere, quoad, pluvia cœlitus data, fames cessaret, III. Regum XVII. Possunt itaque audacter mendicare a divitibus, quia large eis retribuet Deus, ut dicebat Sanctus Franciscus, cum suos mendicatum mitteret.

II. Secundam addit Sanctus Ambrosius, loco citato: *Sed tamen, inquit, etsi nondum vocem invitantis audierat jam viderat affectum.* Viderat se Zacchæi humili desiderio jam invitatum, dicentis intra se: « O felicem nostram terram et nationem, quæ talem ac tantum nacta est prophetam! O si hunc sanctissimum virum videre saltem possem! O si vel digito uno fimbriam ejus tangere! Quam beatus ille, ad quem hodie divertet! Felix illa domus tanto digna hospite. Ad me enim diversurum tantum abest, ut credere possim, ut ad infimum quemque demissurus se potius sit; et satisfactum mihi existimem, si vel transeuntem aspicere queam. Hæc enim demissio potentissimum erat vinculum, quo Christum ad se non tam invitavit, quam intrare compulsi. Solent enim pluviam in valles potissimum descendere, non in præaltos montes: *Ad quem respiciam*, ait Dominus, Isaia LXVI. *nisi ad pauperulum?* seu *humilem*, uti vertit Vatablus. Eadem demissione traxit ad se Dominum centurio, dum se indignum protestatus est, cuius tectum is subiret, Matthæi capite VIII. Descendit enim ad eum, cum ab illo prohiberetur, (licet ejus legati, rem aliter proponentes, descensum ejus peterent): non descendit ad domum reguli, cum ab eo rogaretur; quia hic se dignum, ille vero indignum tanto hospite judicabat. Ludovicus XI. Galliarum rex dono acceperat decem millia coronatorum (quoties autem principibus obtigit nova pecunia, venantur omnes officarii, et captant aliquam prædæ partem, quod non fugiebat Ludovicum). Quum igitur ea pecunia exprompta esset in mensa, rex, quo magis irritaret spem omnium, sic locutus est circumstantibus: *Quid? Annon videor vobis rex opulentus? Ubi collocabimus tantam pecuniæ vim? Donatitia est, donari vicissim convenit. Ubi nunc sunt amici, quibus pro suis in me officiis debeo? Adsint nunc, priusquam effluat hic thesaurus. Ad hanc vocem accurrere permulti; nemo non sibi sperabat aliquid. Rex, cum vidisset aliquem maxime inhiantem et jam oculis devorantem pecuniam, ad eum conversus: Amice, inquit, quid tu narras? Ille commemorabat se diu*

aluisse falcones regios summa fide, nec sine gravibus impendiis; alius aliud adferebat: suum quisque officium verbis, quantum poterat, exaggerabat, idque non sine mendacius: rex omnes benigne audiebat, et singulorum orationem comprobabat. Hæc consultatio dilata est in longum tempus, quo diutius spe metuque torqueret omnes. Ad stabat inter hos primus cancellarius; nam et hunc jusserat acciri. Is, cæteris prudentior, non prædicabat officia sua, sed agebat spectatorem fabulæ. Ad hunc tandem conversus rex: *Quid, inquit, narrat meus cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat sua officia? Ego, inquit cancellarius, plus accepi a benignitate regia quam promeruerim, nec ulla de re magis sollicitus sum, quam ut regiæ in me munificentia respondeam; tantum abest, ut velim flagitare plura.* Tum rex: *Unus igitur, inquit, omnium non eges pecunia? Ne egerem, inquit alter, jam tua præstitit benignitas. Ibi rex versus ad alios: Næ ego sum, inquit, regum omnium magnificentissimus, qui tam opulentum habeam cancellarium? Hic magis accensa spes est omnibus, futurum, ut pecunia cæteris distribueretur, quando quidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum, ubi satis diu lusisset rex, coegit cancellarium ut totam eam summam domum auferret. Moxque versus ad cæteros jam mæstos: Vobis, inquit, erit alia expectanda occasio. Refert Maiolus, tomo I. dierum canicul. Probabile est primores urbis Jericho prius laborasse et sua merita prædicasse, quo Christum in domos suas præ cæteris pertraherent: verum Zacchæi humilitas præponderavit omnibus. O magna humilitatis potentia! Simili demissione et modestia latro ille bonus devinxit sibi Christum, et obtinuit ab eo paradisi communionem, quando suam vilitatem considerans, nihil aliud ab eo præter sui memoriam petiit: ut vel post aliqua sæcula qualemcumque gratiam ab eo reciperet. Hac ergo ratione quisquis se indignum Dei donis æstimat, hoc ipso dignus fit.*

III. Tertiam affert Sanctus Petrus Chrysologus, sermone de Zacchæo LIV. *Quia: Cujus domum, inquit, non intraverit Christus, ille ad divinam non perveniet mansionem: et cujus hic ad mensam non sederit Christus, ille cœlestem non accumbet ad mensam.* Intrat domum nostram et inhabitat Christus per gratiam: quod omnium necessarium est, si intrare velimus ipsius regnum beatissimum. Jam vero, ut per gratiam ad nos intret, prævenire nos sua clementia et gratiæ auxilio adeoque excitare, itaque seipsum quodammodo invitare debet. Unde Apocalypsis III. scribit episcopo Laodicæ: *Ego sto ad ostium et pulso:*

*si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, etc. cœnabo cum illo.* Pulsat per gratiam excitantem, quæ est supernaturale auxilium, torpentem et quasi dormientem voluntatem excitans, ut prosequatur bonum, quod ei offertur. Qui cum admissus fuerit per consensum, ostium quasi reserantem, tunc intrat et inhabitat cor hominis per gratiam sanctificantem. Non exisset de incendio Sodomæ Loth, sed amore patriæ amœnissimæ inibi hæsisset, nisi angeli, manu injecta, eum eduxissent, Genesis XIX. non evigilasset e somno Petrus, victus in carcere, nisi eum angelus, percusso latere, excitasset, Actorum XII. nunquam prodigus filius ad patrem rediisset, nisi fame et frigore pulsatus fuisset: sic etiam peccator creaturarum amore et peccatorum vinculis perpetuo adhæreret, nisi eum Dei gratia præveniens inde extraheret: neque Zacchæus Christum in domum suam suscepisset, nisi benignissimus Dominus seipsum invitasset. Horrendum igitur est in peccatum cadere, quandoquidem per teipsum nequis resurgere. Pulsus vero ille interdum remissus, interdum valde potens est, quem indicat verbum illud *Oportet*. Quia enim divites, qualis erat Zacchæus, plerumque in suis opibus profunde indormiunt, seria excitatione indigent. Ideo Dominus Zacchæo: *Hodie in domo tua oportet me manere*, quasi dicat: *Hodie me hospitem domui tuæ habebis, nisi valde incivili esse, et famam tuam prostituere, meque confundere velis. Hac tamen adeo potenti et speciali gratia non omnes vocat; sed: Quibus vult, miseretur in hunc modum. Ad hæc, non omni tempore peccatorem excitat, sed cum ipsi placet: ideo quamprimum, ubi pulsus ejus audierimus, aperiendum ei cordis ostium; metuendum alioquin, ne forte pulsus ille sit postremus. Sane, nisi Zacchæus primæ vocationi mox aures aperuisset, utique periisset, quia Dominus per Jericho non erat amplius transiturus. Hoc ergo quavis cogitet: Quid si hæc mea vocatio et exercitatio sit ultima? Actum de me tunc erit, nisi mox parvero.*

IV. Quartam esse reor, quia vidit Dominus morbum Zacchæi admodum periculosum, qui medici præsentiam et cura egeret. Ideo instar medici ægrotum sponte accedit; quasi ei dicens: *Potio tibi sumenda, vomitorium procurandum est; quo iniqua bona expuas, ut vitam serves; scindi et uri debes; quare mea præsentia tibi necessaria est, nisi perire velis. Laborabat, ut colligitur ex evangelio Zacchæus avaritia et injustitia: quarum illa non nisi eleemosynarum largitione, hæc vero alienorum bonorum restitutione curari potest. Itaque Christus suam præsentiam*

velut medicam potionem Zacchæo vidit esse necessariam, qua maligni illi humores ejicerentur et curarentur. Quod et actum feliciter, dum Zacchæus a potionem sumpta statim humores illos expuens: *Ecce inquit, dimidium bonorum meorum do pauperibus* (en sanata avaritiam), *et si quilibet aliquem defraudavi, reddo quadruplum* (en sanata injustitiam.) Hinc igitur ait Dominus: *In domo tua oportet me manere*, quasi alia via curari non posset. Multi existimant se avaritia curare non posse precibus; injustitiam eleemosynis, piis legatis, templorum dotationibus, etc. conscientiam gravis alicujus peccati sopire conantur peregrinationibus et similibus. Similes illi Achæus stulto, qui ollam fictilem capiti dormiturus subjiciens, cum duram nimis deprehendisset, plumis replevit, apud Eustachium, Odys. X. Verum nihil efficiunt; potionem medicam, illi morbo congruam, suscipere oportet; ita eis salus fiet. Fugiunt quidem ægri sæpe medicum, et medicinas velut sibi noxias et contrarias: nolunt uri et scindi; sed ubi his medicamentis adhibitis tandem convaluerunt, tum gratias agunt medicum quomodo Arcadius imperator, cum in pueritia cæsus semel fuisset ab Arsenio præceptore, graviter quidem tulit, ita ut necem machinaretur magistro: at vero in adulta ætate beneficium agnovit, eique gratias egit in vita Sancti Arsenii, apud Surium, 19. Julii. Quisquis igitur sapit, quisquis domui suæ salutem exoptat, medicum salutis libenter admittat, etiam importunum et minime invitatum; quin et gratias agat, et quotidie oret, ut nostras etiam rebelles ad se compellat voluntates.

## CONCIO III

ZACCHÆUS QUIA PURUS, JURE MERITO DEDICATIONIS FESTO INTEREST, IMO PRÆEST.

I. Quia purgavit domum suam a jurgiis. — II. Purgavit eam ab injustitia. — III. Expiavit et ab aliis peccatis.

## THEMA.

*Hodie salus domui huic facta est. Luc. XIX.*

Audiuntur interdum aliqui parum modeste joculari in beatum Zacchæum, quasi amet interesse festivis dedicationum diebus, adeo ut sine ipso nulla celebrari dedicatio queat: Zacchæus, quia nimirum evangelium hujus festi ipsum proponit, veluti Christi hospitem et domus suæ reformatorem. At vero hoc quam sapienter fiat, discere non ab Hebræis solum, sed a gentilibus etiam



possumus. Solebant Hebræi festivis suis conviviiis aliquem præponere architriclinum, qui, ut scribit Sanctus Gaudentius, et ex eo Baronius, esset unus e sacerdotibus, moribus et vita gravis, qui non modo mensæ, sed et disciplinæ curam, durante convivio, haberet, ne quis exorbitaret. Idem apud gentiles receptum fuisse, scribit Varro, libro XX. et Macrobius, I. Saturn. capite I. qui præfectum illum *convivii dominum et moderatorem* vocant alii, ut Cornelius Tacitus *regem convivii, aut symposiarcham*. Hujusmodi architriclinum vidit Ecclesia esse necessarium dedicationis festo, quod in primis lautiore epulo et publicis aliis gaudiis celebrari solet. Dedit igitur nobis Zacchæum, cujus vel ipsum vocabulum, quod *purum* sonat, dignum ostendit, qui huic festivitati præsit, adeoque eam, uti et domos nostras ab omni impuritate expurget, quemadmodum ipse, suscepto Christo Domino hospite, expurgavit suam.

I. Zacchæus expurgavit in primis domum suam a jurgiis et contentione. Cum enim ejus concives objecissent ipsi peccata sua, murmurantes quod ad hominem peccatorem Christus divertisset, nihil eis respondit, sed præcise ad Christum dixit: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*; hoc responso civium murmur et gliscentem contentionem sopivit, adeoque os eorum obstruxit. Frequentia sunt in dedicationum diebus jurgia et rixæ, præsertim inter rusticos. Purissima dedicationis solemnitas magnopere turbatur ejusmodi discordiis. Quare expurganda est, et quo meliore modo, nisi quo Zacchæus usus est? Arguunt te aliqui quod sis ebriosus, ipsum te redargue, sobrium te monstrando: alius calumniatur te avarum et Euclionem esse, retunde tu ictum, et ostende te liberalem, in egenos misericordem. Sic omnem dilues calumniam, et debilis maculam, longe efficacius, quam si pugnis aut contumeliis te ipsum ulciscaris. Sanctum Athanasium accusarunt quidam ejus æmuli, Ariani, quod Arsenio lectori amputasset manum. Qua ratione Athanasius sese defendit? Non retundendo calumniam, nec in accusatores retorquendo, aut vicissim alias ejaculando; sed produxit Arsenium in Concilium, jussitque eum deprimere ambas manus suas, sanas et illæsas. Sic confudit inimicos potentissimo argumento, ut in ejus vita. Pari modo tu convinces calumniatores tuos, si te ipsum steteris non qualem te calumniantur, sed plane contrarium.

II. Expurgavit domum suam a bonis injuste partibus, quæ adeo quidem sunt immunda, ut etiam iusta maculent, si eis miscantur. Ita enim Sanctus Chrysostomus, homilia LVII. Matthæi: *Quod*

*justis, inquit, laboribus collectum argentum est, propter hos iniquos fetus plerumque contaminas, quasi quis secundum cogat uterum scorpionem parere*. Qui noxium aliquid in stomacho gerit, expurgare illum debet; qui crudum et indigestibile aliquid comedit, evomat necesse est: talia sunt bona aliena; digeri non possunt, sed perpetuo conscientiam gravant, rodunt et lancinant, donec restituantur, sicque domus emundetur. In vita abbatis Copris scribit Palladius episcopus Hellenop. eum inter alia hoc recensuisse: « Cum esset mihi aliquando hortus in agro propinquo propter eam, quæ ad nos veniebat, fraternitatem, et quidam pauper eum operaretur; ingressus est quidam gentilis, ut furaretur olera: ubi vero ea suffuratus recessisset, eaque tribus horis non potuisset coquere, sed mansissent in lebetes qualia acceperat, utpote quod aqua minime calefieret, vir se colligens, accepta olera ad nos detulit, rogans ut a nobis condonaretur erratum, et ut fieret Christianus: quod etiam factum est. » Quod huic gentili cum furtivis oleribus evenit, hoc evenit et aliis, quicumque res alienas in domos inferunt, quia non possunt eas concoquere in sua conscientia, velut enim caro cruda stomachum semper onerat, donec revomatur. Hac de causa expurgatam etiam voluit et servavit Tobias domum suam, tametsi plane cæcus. Cum enim audisset in domo sua vocem balantis hœdi, dixit ad suos: *Videte ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere*, Tobias II. Qua de re Sanctus Augustinus, sermone XVIII. de verbis Domini: *Clamabat, inquit, Tobias propter hœdum, ne de furto esset; nolebat sonum furti audire in domo sua*. Similiter Sanctulus ille apud Sanctum Gregorium, libro III. dial. cap. XXXVII. cum in summa inopia operariis Ecclesiæ panem, quem daret, non haberet, casu reperit panem justæ magnitudinis in furno, in quo vicinæ mulieres pridie panem coxerant: eo tamen uti prius noluit, quam ad vicinas illas delato, unde certior fieret, nullius fuisse, sed divino beneficio sibi objectum esse, adeo in extrema etiam necessitate alienum tollere noluit. Nec mirum, nam: *Qui malo suo desiderio extrinsecus furantur, Dei judicio intrinsecus furantur, Dei judicio intrinsecus grandinantur*, ait D. Augustinus post serm. de divers. frag. II. cap. VII. et mox: *Quid ego tibi prodest, si ubi homo non videt, furaris; et ubi Deus videt, grandinaris?* Solent communiter in dedicationibus institui nundinationes, imo ipsæ jam passim in nundinas transierunt. At ubi plures injustitias invenies, quam in mercimoniis? Jure igitur merito Zacchæi sit memoria in festis dedicationum, ut intelligamus

justitiæ habendam rationem, cavendam injustitiam.

III. Expiavit etiam ab aliis peccatis, quando eam totam suo exemplo reformavit, et fide imbutam Christo conciliavit; siquidem Dominus ait, domui ejus salutem a Deo factam: unde colligitur postea, seu monito, seu exemplo Zacchæi omnes ejus domesticos fuisse conversos. Itaque Zacchæus, mox episcopus quodammodo in domo sua factus est; id quod patribus familias injungit etiam Sanctus Augustinus, sermone LI. de sanctis, cum ita eos alloquitur: « Agite vocem nostram in domibus vestris. Episcopus inde appellatus est, quia superintendit, quia intendendo curat. Unusquisque ergo in domo sua, si caput est domui suæ, debet ad eum pertinere episcopatus officium, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in hæresin incurrant, ne uxor, ne filius, ne filia, ne ipse servus, quia tanti est emptus. Minimos vestros nolite contemnere, domesticorum vestrorum salutem omni vigilantia procurate: » et paulo superius: « Cum reprehenditur Christus, defendite; murmuratoribus respondeate; blasphematores corripite, etc. » Porro triplex episcopi officium indicat pedum, quod est baculus pastoralis, infra in cuspidem desinens, supra vero in uncum: cuspide enim pungere et expellere incorrigibiles debet, baculo impellere pigros ad labores, unco trahere languidos ad pietatem. Sic ergo et paterfamilias, velut domui suæ episcopus. Primo, expellat e domo sua præfractos et scandalosos, aliisque gravibus vitiis addictos; exemplo Davidis, qui dicebat: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam; qui loquitur iniqua, etc.* Psal. C. et Sancti Elzearii comitis, qui nolebat quemquam peccato mortali implicatum pane suo vesci, et mox expellebat, qui grave aliquod admisissent; unde domus ejus instar templi sancta fuit. Secundo, impellat suos ad labores, et curet ne in otio degant, uti curabat Sanctus Carolus Borromeus, qui, in ampla licet familia, ita suis partebatur labores, eosque utiles, ut nemo vel quadrantem horæ haberet liberum et otiosum; præibatque illis exemplo, ita se continuis præterens laboribus, ut pene enecaret; ut testatur archiepiscopus Valentinus, in litteris ad eum datis, in libro VIII. capite XXI. Tertio, trahat suo exemplo ad pietatem et cultum divinum, ad templi ingressum, frequentem confessionem ac communionem, necnon orationem domi faciendam, cum pulsu campanæ admonentur, etc. Quemadmodum et Jacob suos præcessit in Bethel: *Surgite et ascendamus, inquit, in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo*, Genesis XXXV. Non erit: *Surgite et ascendite*, quo modo etiam

Julius Cæsar non solebat dicere militibus suis. *Ite milites, sed: Venite commilitones: Surgite et ascendamus*, inquit.

Consonat his, quæ diximus, ipsum Zacchæi vocabulum, quod *purum* significat. Si quid enim est familiæ necessarium, si quid honorificum et conveniens, puritas est, tam quæ externum, quam quæ internum concernit hominem. Sit ergo Zacchæus, seu puritas. Primo, in corde et intentione, ut sint omnes domestici candidi et sinceri in fide erga Deum et homines. Sacerdotes Ægyptiorum, si vel unum pilum in bove nigrum viderent, immundum censebant, nec immolabant diis suis, Herod. libro XI. Ita requirit Deus a nobis cor ex omni parte candidum; requirat et paterfamilias a suis domesticis; quod imprimis exemplo, deinde etiam mandato suo commendavit suis David, qui Psalmo C. dixit: *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ, non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes prævaricationes odivi. Non adhesit mihi cor pravum, declinantem a me malignum, non cognoscebam, etc.*

Secundo, in verbis et sermone, quod etiam observavit David in citato psalmo addens: *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum*, hoc est, non placuit, sed displicuit mihi. Rursum: *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequerbar*. Hac de re audiamus Sanctum Augustinum, sermone CCXV. de tempore, ita ad suos perorantem: « Ante omnia, inquit, ubicumque fueritis, sive in domo, sive in itinere, sive in convivio, sive in consessu, verba turpia et luxuriosa nolite ex ore vestro proferre; sed magis vicinos et proximos vestros jugiter admonete, ut semper quod bonum est et honestum loqui studeant, ne forte detrahendo, male loquendo, et in sanctis festivitibus choros ducendo, cantica luxuriosa et turpia proferendo, de lingua sua, unde debuerant Deum laudare, inde sibi vulnera videantur infligere. »

Tertio, in oculis et auribus; quod etiam tangit David psalmo citato, cum addit: *Non proponebam ante oculos meos rem injustam*; Hieronymus et Anacletus legunt: *Verbum Belial*. Igitur et aures ab impuris verbis custodiant et oculos, ne aspiciant res turpes et obscenas: adeoque paterfamilias ne patiatur in suis ædibus imagines impuras. Commemorat Prosper Aquitanicus, prædicatione libro VI. suo tempore puellam quamdam christianam, cum Carthagine in balneis quoddam Veneris simulacrum minus pudice intuita esset, seque eidem assimilasset, a diabolo mox obsessam fuisse, qui gutturis meatus occupavit, ut circiter



octoginta diebus nec cibum trahere nec potum valeret.

Quarto, in victu et vestitu. In victu, ne promiscue sedeant viri cum mulieribus, sed distincte et separatim. Si enim eam honestatem gentiles observarunt (uti Persæ, l. Esth. capite I. ubi rex alibi convivium viris, regina alibi instruxit mulieribus; Macedones, apud Herodot. libro III. Justin. libro VII. Græci, teste Cirerone, act. III. in Verrem) nonne turpe erit, si non servent Christiani? Non audiunt Ecclesiasticum, capite IX. monentem: *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, ne accumbas cum ea super cubitum?* Quid enim? *Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus,* ait Sanctus Cyprianus, de singulari cleric. In vestitu, ut sit purus a luxu et omni fastu, verecundiam præ se ferens, juxta regulam Sancti Chrysostomi, homilia XX. in epistolam ad Colossenses: *Orna sponsam non aureis ornamentis, sed mansuetudine et pudore, et consuetis vestibus. Pro quovis mundo aureo et implicaturis, et intexturis induet pudorem et verecundiam, etc.* Aspiciat sorores duas, Nonilonem et Alodiam, pro Christi fide in Hispania, anno Domini 851. gladio obtruncatas. Illarum prior, cum gladium lictoris in mandibulam delatum excepisset, et ex ictu corruens crura paululum nudasset, soror Alodia, mox accurrit, et cum omnium admiratione quod nudatum erat, obtexit; tanta illis erat verecundia et cura honestatis, sub ipso lictoris gladio auctore Maldonato, apud Surium, et Lipel. 23. octobris. Quis hoc pudoris speculo non confundat feminas nostri sæculi nobiliores, quæ intolerabili stultitia denudant quod tegendum est? Certe David in domo tales Veneres non toleravit, quod ex præcitato psalmo intelligimus, ubi ait: *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam: et rursum: Non habitabit in medio domus mea, qui facit superbiam.* Quis autem facit superbiam, nisi qui in dies novos vestiendi modos et stultitias excogitat?

Non ergo frustra, auditores, non frustra nobis datur ab Ecclesia Zacchæus ad basilicas dedicandas, earumque encænna quotannis celebranda. Magnopere necessaria est hujus architrictini et modimperatoris præsentia; quo absente verum erit, quod scribit Sanctus Augustinus, sermone XXXVI. de verb. Domini: *Sæculi lætitia est impunitæ nequitæ, et Ecclesiæ dedicatio erit non tam Dei quam diaboli recreatio.* Vicissim ubi Zacchæus festivitati huic præfuerit, dicere licebit de vestris etiam domibus, quod de domo Zacchæi dixit Christus Dominus: *Hodie huic domui salus a Deo facta est.*

## CONCIO V.

QUA VIA ZACCHÆUS SALUTEM ET EXIMIAM SANCTITATEM CONSEQUITUR SIT.

I. Ardenti desiderio. — II. Industria et labore. — III. Prompta obedientia. — IV. Patientia et injuriæ dissimulatione. — V. Humilitate et sui contemptu. — VI. Contemptu honorum temporalium.

## THEMA.

Hodie huic domui salus a Deo facta est. Luc. XIX.

Mirum aliquando prodigium accidisse scribit Hieronymus Cardanus, libro XV. rerum var. capite LXXI. dum aridæ scopæ in palatio effloruerunt sub imperatoribus Valentiniano et Valente: significasse vero ait humilium exaltationem, qua ex infima sorte aliqui benevolentia imperatorum ad summos eveherentur honores. Simile quoddam prodigium videtur accidisse in domo Zacchæi, in qua Publicanus, ab omnibus contemptus, nec melior ab Hebræis quam detrita scopæ æstimatus, subito effloruit, et post virtutum dotes fructum insuper nobilissimum protulit, salutem sibi et domui suæ, et quod inde consecutum est, deus magnæ sanctitatis, demumque episcopalis dignitatis, ad quam postea a Sancto Petro Cæsareæ Palæstinæ evectus est. Quis aliquando vidit tale portentum? E Publicano pauperem evangelicum, ex hoc episcopum et Ecclesiæ lumen! Videamus igitur nunc, qui sint illi flores ex his egressi scopis, ut pro modulo nostro imitari eos possimus. Qua via ergo paravit sibi salutem?

I. Ardenti desiderio Christum videndi, quo ductus præcurrit et ascendit in sycomorum, et commeruit non videre dumtaxat Christum, sed et hospitem habere. Qui magno virtutis tenetur desiderio, dimidium quasi facti habet. Ita enim Sapientia VI. dicitur: *Concupiscite sermones meos, et diligite illos, et habebitis disciplinam, Græce, erudimini.* Unde Lactantius, divin. institut. libro I. capite XX. dixit: *Quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere ac animo tenere? Quod unusquisque simul ac cepit velle, consequitur.* Impossibile existimabat Saul Davidem cadere posse centum Philisthæos, et pro filia dote eorum præputia afferre: verum Davidi, qui magnæ regis filia desiderio tenebatur, facile id erat, itaque post paucos dies attulit non centum, sed ducenta præputia, I. Regum XIX. Nihil difficilius consequemur virtutem et ipsam perfectionem, si magno ardeamus earum desiderio: « Is enim Domini nostri mos est, ait Divus Chrysostomus, homilia IV. in Genesin, ut quoties videt animam aliquam multo desiderio promptitudineque inten-

tam spiritualibus, jejunantem, liberaliter illam gratia et opulentiis suis donis locupletet. » Videre id erat in Sancto Antonio de Padua, qui adhuc juvenis, cum audisset advectos quinque martyres a Marocchio, pro fide Christi a Saracenis interfectos, maximo et ipse martyrii desiderio inflammatus, dixit: *Utinam et mihi liceat pro Christi nomine flexo populi carnificis ictum accipere;* indeque a patribus Franciscanis instanter petiit recipi in eorum ordinem, modo ipsum ad Saracenos postea mittere vellent, ubi pro Christo sanguinem fundere posset. Cumque habitum susciperet, quidam canonicorum regularium, in quorum cœtu prius vixerat et insultans ait: *Eas, eas, forsitan sanctus eris.* Ad quem ille conversus, humili voce dixit: *Cum me in sancto relatum audieris, profecto Deum laudabis.* Post hæc institit potenter, voti sui ut particeps fieret; et impetravit quidem discessum a fratribus; sed Deus illum ad bonum plurimorum fidelium reduxit, et quo ille aspirabat, ad miram sanctitatem perduxit, ita in ejus vita, 13. junii, apud Surium.

II. Industria et labore, quo in arborem conscendit non sine difficultate, ut quod stature deerat ad videndum Christum, beneficio arboris consequeretur: uti factum. Labor hic quidem exiguus reputari potest, et tamen postea plures alios et graviores accersivit, quibus consecutus est, ut assecla Sancti Petri et episcopus Cæsareæ Palæstinæ fieret, ab ipso Sancto Petro ordinatus, ut narrat Sanctus Clemens, libro I. et III. recogn. En tibi ex Publicano, homine rudi, quid effecit labor? Nihil igitur est, quod labor improbus non acquirat. Sanctus Isidorus cum puer esset, adeo hebeti fuit ingenio, ut nihil plane caperet, ac proinde de litterarum studio deserendo cogitaret. Qua in cogitatione cum mœstus juxta puteum stare, intuitus sulcos, quos in duro lapide crebræ sitularum tractationes effecerant, secum ita discurrebat: Si hoc in lapide facere potuit frequentia, quidni etiam continuo labore poterit expoliri ingenium meum? Siresumpto animo, constanter incubuit in litteras, adeo doctus evasit, ut archiepiscopus Hispalensis fieret, nec parem in doctrina et eloquentia haberet ævum illud, ita habetur in ejus vita. Severus Sulpitius scribit dialogo I. capite VII. se in eremo deprehendisse senem quemdam monachum, qui: « Bovem unum habebat, cuius hic erat totus labor, impulsa rotali machina a quam producere; nam mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur. Hortus et illic erat multis oleribus copiosus: id quidem contra naturam eremi, ubi omnia arentia, exusta solis ardoribus, nullius unquam seminis vel exiguum radicem ferunt. Verum in hoc sancto illi labor cum pecu-

de communis, et propria præstabat industria: frequens enim irrigatio aquæ tantam pinguedinem avenis dabat, ut mirum in modum viveret atque fructificare hortuli illius olera videremus. Ex his ergo una cum domino suo bos ille vivebat; nobis quoque ex ea copia cœnam sanctus ille dedit. » Sic nimirum dura etiam ingenia et sterile animæ excoli industria et labore sedulo possunt, ut attingant sanctitatem et sapientiam. Unde dicebat alius quidam senex: *Propterea non promovemur, quia nescimus mensuras nostras, neque patientiam habemus in opere quod cœpimus, sed sine labore volumus virtutem possidere,* apud Rosweid. libro V. vit. pp. libello VII.

III. Prompta obedientia, qua descendere ex arbore jussus, festinans descendit, et invitatorum sese Jesum gaudens suscepit. Miratur hoc Sanctus Chrysostomus, homilia de Zacchæo: *Audi mirabile, inquit, nondum didicit et obedit, nempe Salvator justitiæ radiis nequitæ caliginem fugavit.* Magnum etiam est hujus virtutis meritum; et facilis inde ad sanctitatem gradus: quinimo Sanctus Bernardus, in sermone de divers. quomodo voluntas nostra subjici divinæ debeat, ait: *Totius perfectionis summa videtur in eo consistere, si voluntas nostra divinæ subjecta sit voluntati.* Et senex quidam moribundus, apud Cassianum, libro V. de instit. cœnob. capite XXVIII. a fratribus rogatus, qua potissimum die ad persecutionis culmen pervenire possent, ingemiscens hoc unum respondit: *Ego nunquam meam feci voluntatem.* Et quid mirum? Per obedientiam enim Deo per omnia exhibitam redimus ad eum statum in quo conditus fuit Adam, cui et creaturæ aliæ tamdiu paruerunt, quamdiu ipse paruit Deo: cujus subjectioni ubi se subtraxit, subtraxere etiam se creaturæ aliæ imperio ipsius. Unde Cassianus, quem diximus, libro IV. instit. capite VIII. ait de Thebanis fratribus: « Multis experimentis edocti tradunt monachum et maxime juniores, ne voluptatem quidem conscientia suæ refrænare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates. » Certe id ipsum Sanctus Augustinus, in Psalmo CXLIII. docet, cum ait: *Servi tu ei, qui fecit te, ut tibi serviat quod est factum propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, nunquam efficies ut tibi serviat caro: Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo.* Potest hoc exemplo compluribus demonstrari. Estantus, quidam religiosus, ad imperium sui abbatis manum immisit in bullientem aquam; indeque carnis portionem illæsus plane extraxit, in vita Sancti Ethewoldi, apud Lipel. I. augusti: Sanctus Eucherius Lugdunensis episcopus jussus a Sancto Cæsario episcopo. Arelatensi erigere mulierem